

nostram diligere uolueritis inoffensam, volentes itaque quod robur debitum optineat quod fecimus in hac parte. presentibus litteris super hoc confectis, sigillum nostrum apponi fecimus & annecti. Datum lincopie. anno domini. M^o.CC^o.LXXX VIII^o. Pridie ydus Februarij.

Kongl. Sigillet, på en under brevetet utklippt remsa, är något skadadt.

958.

1288. d. 7 Mars.

Karlsberg.

Utvalde Årke-Biskopen i Upsala MAGNUS BOSSONS Testamente af sin qvarlåtenskap.

A. 4. 6.

IN NOMINE patris & filij & spiritus sancti amen. Nos MAGNUS dei gratia vpsalensis ecclesie electus consecratus, communem humanj interitus incertitudinem attendentes, ac nostre diutine debilitatis periculum non immerito formidantes, de bonis nostris personalibus pro remedio anime nostre in hunc modum nostrum ordinandum duximus testamentum. In primis legamus ad fabricam vpsalensis ecclesie .XX. marchas denariorum. Item ad vicariam quam in eadem ecclesia instituit bone memorie prepositus bero .IIII:or solidos terre in kragsta. Item fratribus predicatoribus sictunie .XXIIII. Marcas den. Item claustro sanctimonialium in sko, tres oras & quinque denarios terre in scutlæ, cum molendinis ibidem, saluis decimis de molendinis ipsis parrochialj sacerdotj soluendis, sicut nostris temporibus percipere consuevit. Item ecclesie knifsta, vnum solidum terre in sæby. Item ecclesie othinsærg vnum solidum terre ibidem. Item ecclesie wazsundum, duos solidos terre in kragsta. Item ecclesie fundbohæreth, tres solidos terre ibidem. Omnia tamen que de kragsta legauimus Benedictus frater noster vel eius heredes potestatem habeant pro equiualentibus predijs redimendj. Item ad sustentacionem persone ecclesie in alseke & successorum eius, legamus dimidiam marcham terre in biærgum. Ceterum quia ecclesie waxal nos recognoscimus specialiter obligatos, ibidem ad altare beatj andree instituimus perpetuam vicariam. statuentes quod quj in ea institutus fuerit, cum persona dicte ecclesie horas canonicas dicere teneatur. et quod obligatus sit singulis septimanis per se vel per alium ad vnam missam de beato Andrea, necnon vigiliis nouem leccionem cum vna missa pro defunctis pro anima silicet nostra & parentum nostrorum, pro anima eciam gilløgu de kragsta & omnium in cymiterio dicte ecclesie sepultorum. Ad sustentacionem vero vicarij memoratj, assignamus .XII. oras terre in hoa parrochie othinsærg cum omnibus edificijs ibidem, & molendina nostra in nutø in olandia, cum duabus oris terre ibidem volentes insuper quod de bonis nostris eidem vicarie addantur quatuor iumenta. duo equj. duo domitj boues .VIII. uacce .XXX. oues

antique .VIII. porci antiquj, et .X. iuuenes. vtensilia eciam omnia tam ad culturam terre quam ad victualia & alia commoda familie, prout secundum communem cursum cure domestice fuerit oportunum. Volumus autem vt post obitum nostrum duo scolares cognatj nostrj. silicet holmgerus & laurencius, omnis fructus vicarie prefate pro sua sustentacione si in clericatu perseverare voluerint percipiant, usque ad finem decenniij exnunc continue computandj. quo transacto, supradictus frater noster uel propinquior & prior natu de heredibus suis, quos presentandj personam ydoneam ad eandem vicariam uolumus extunc & in posterum jus habere aliquem presentent preposito vpsalensi, quj eam conferendi seu in ea vicarium instituendi, necnon institutum si quo ad se vel sibi commissa se male habuerit destituendi, iure perpetuo liberam habeat facultatem. Et quia predia que predicto modo pro anima nostra legauimus, pro maiorj parte de bonis fratris nostri recepimus, loco eorum sibi & suis heredibus refundimus Curiam in kragsta cum omnibus attinencijs mobilibus & immobilibus, volentes nichilominus, ut in reliquis bonis nostris tam patrimonialibus sicut halquj & forsby, quam contemplacione persone nostre acquisitis sicut granø & fiælholve, necnon in posterum acquirendis, sepedictus frater noster nobis hereditario iure succedat, ita tamen quod hereditatem ipsam non adeat donec omnia que legauimus sint soluta. Executores vero huius nostrj testamentj constituimus Prepositum vpsalensem, Priorem fratrum predicatorum sictunie, & fratrem nostrum benedictum sepius memoratum. Actum apud karlsberg, Anno dominj. M°.CC°.LXXX°.VIII°. jn dominica Letare.

Sigillen 1, 2, 4, 6 andeliga; 3 med vopen, omskriften borta; 5 med vopen; 7 bortfallet.

959.

1288 d. 17 Mars.

Helsingborg.

Konung Ericis i Danmark Beskærmelsebref för Kanikerne i Lund med frikallelse från Kongl. utskylder af deras Landboar.

A. 1. 17.

Privilegium Erici regis de libertate colonorum capituli ab omni expeditionis grauamine et jmpetitione exactoria. Inne et. stuuth. vectigalibus, &c.

E Dei gracia. Danorum sclauorumque rex. Omnibus hoc scriptum cernentibus. salutem jn Domino sempiternam. Notum facimus tam presentibus quam futuris. quod dilectos nobis Canonicos lundenses. vna cum bonis eorum et personis eis attinentibus. sub nostra protectione et tutela suscepimus speciali. Dimittentes eis omnes villicos et colonos. ceteramque eor